



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.  
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||  
Elector, &c.**

**Gelenius, Aegidius**

**Coloniae Agrippinae, 1633**

Notatio ad Caput Octauum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9728**

**A** petit: Imò verò adspersit me aliquis. Rursum illis negantibus: Sinite me, inquit, abire. Dei enim benignitate & meritis Engelberti martyris ecce sanus sum. Surgit eadem hora, cunctis mirantibus: quiescit paulisper in ædibus templo vicinis: inde domum proficiscitur, & sensim plenè restituitur.

### Notatio ad Caput Octauum.

**B** **N**omen huic calumniatori punito, & sanitati restituto Arnoldus fuit, vt in manuscrip. est videre.

### Caput Nonum.

*De Cubiculario Comitissæ Geldriensis contracto sanatoque.*

**C** **V**BICULARIUS Geldrensis Comitissæ, non nisi scipionibus fultus ingredi potuit. Audiens Colonia multa edi miracula, eo se confert, & aliquot continuis diebus martyris Engelberti sepulchrum inuisens, atque eius precibus sanari se petens, octauo die curatur, relictisque illic scipionibus, lætus domum redit.

*Contractus curatur.*

### Notatio ad Caput Nonum.

#### §. Geldrensis Comitissæ.

**D** **E** Geldriæ Comitibus sequenti capite accuratiùs quædam tractabo, hîc aliquot tantùm enarrabo rescripta Cæsarea, contra Geldriæ Comitem S. ENGELBERTI amicum data. Nam Fridericus Sicularius sibi oblatum à Principibus Imperij honorem ostensurus esse perquam acceptum, quædam præsentem S. ENGELBERTO edidit diplomata, in quibus Fisco & Aduocatis immoderato suo excessu, ac nouis omnino excitandis telonijs interdixit, eaque occasione Gerhardum iuniorem Geldriæ Comitem iussit telonium Arnheimense abrogare, mandatâ SANCTO ENGELBERTO

Fridericus Sicularius Imperator.

Cc

execu-